3.

DE
HEPATIS ABSCESSIBUS, QUI CAPITIS VULNERIBUS SUPERVENIUNT.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA
FRIDERICA GUILELMA
AD SUMMOS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE IMPETRANDOS
DIE XXVII. M. IULII A. MDCCCXXXVIII.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

ERNESTUS LUDOVICUS SCHENK
SAXO-BORUSSUS.

OPPONENTIBUS:
B. GOEDEN, MED. ET CHIR. DD.
H. GROSS, MED. ET CHIR. CAND.
H. MUELLER, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

VIRO

CELEBERRIMO, HUMANISSIMO, AMPLISSIMO

F. C. C. LEHMANN,

MED. ET CHIRURG. DOCTORI, MEDICO IN EXERCITU BORUSSORUM NEC NON IN NOSOCOMIO CARITATIS SUPERIORI,

MAXIME DE SE MERITO,

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Omnes humani corporis morbi depravata quadam vitali functione oriuntur, profecta ex alienata actione alterius illorum factorum, quorum conflictus vitalem illam actionem exserit in alterum; qui quidem factores sunt: nervi, sanguis ceteraeque corporis partes similares, principium psychicum.

Nervorum autem actio, externis rebus noxiis mutata, aut quantitate augetur, vel imminuitur, aut qualitate alienatur, cujus quidem nervorum mutationis domicilium est: aut locus ipse infestatus, ubi affectio localis, aut totum nervorum systema, ubi affectio totalis, aut alia quaedam remotior pars, quae miro quodam nervorum consensu cum infestato loco cohaeret, ubi affectio polaris appellatur. Polari vero affectione

efficitur, ut pars ab infestato loco remotissima, partibus interjectis minime offensis, corripiatur passione aut simili, aut contraria — id est aut per consensum, aut per antagonismum.

Consensus quidem et antagonismus exstant inter organa et peripherica et centralia, inter organa juxta corporis axim sita, et quae ex utroque corporis latere sibi respondent, inter varia nervorum systemata, denique inter singula corporis organa, quare sine dubio maximi momenti est haec res in cognoscendis et curandis morbis.

Omnium autem corporis humani organorum princeps est cerebrum, quare id quoque cum omnibus fere reliquis partibus hoc modo consentit; cerebrum enim, nervorum systematis, omnes per corporis partes diffusi, centrum et matrix, de omnibus externis insultibus certius fieri debet, priusquam reactio cujusvis corporis partis existere possit.

Quae res quamvis ita se habeat, quaedam tamen organa prae ceteris talem cum cerebro nexum ostendunt, maxime vero abdominis gan-

glia et organa. Nonne videmus cephalalgiam semper comitari sordes gastricas, spasmos e cerebro profectos intestinorum irritatione, verminosa praesertim, effici, nonne videmus vomitum ortum ex affectione vel inflammatione cerebri? Nec minus perspicuus est inter haec organa antagonismus; nonne enim semper fere illi viri, qui sublimes doctasque res meditantur, cerebri igitur vires magis debito exercent, assimilationis turbis laborant, nonne post epulas uberiores animi vis haud mediocriter imminuitur?

Miro quidem modo cerebrum cohaeret cum hepate certeque memoratu dignissimum est antagonismi specimen, quod ex capitis laesionibus, praesertim commotionibus, facillime hepatis inflammatio oritur.

Contra minus arctus esse videtur consensus cerebri cum organis pectoris atque cum cute, hujus enim inflammatione interdum quidem inflammatio partium vicinarum, immo totius nervorum systematis irritatio, id est febris; transspirationis suppressione, aucta intestinorum actio, sub-

inflammatio, vel inflammatio pulmonum, imo musculorum partiumque fibrosarum, rheumatismus oritur, sed cerebri antagonisticam irritationem e cute haud facile invenies. Nihilominus post capitis laesiones erysipelas oriri videmus, praesertim in majoribus nosocomiis, ubi complura ad noxam inferendam concurrunt, ita ut apud longe majorem numerum capite laesorum hominum secundo vel tertio die post dolores vel minores, vel acerrimi, ex vulnere profecti, erysipelas appropinquans indicent. Vulneris orae intumescunt, affectiones gastricae apparent, lingua fusco quodam muco obtegitur, appetitum ciborum amissum excipiunt anorexia, vomituritiones, vomitus sordium atrabilarium, interdum adeo regio epigastrica dextra doloribus atque tumore afficitur. Erysipelas symptomata sua haud dissimulans, capitis atque faciei latiores partes invadit, quas flavo quodam colore tingit. Rubor digiti pressione depulsus, sublato digito statim redit; haud raro bullae oriuntur flavo fluido impletae.

Cephalalgia augetur, cutis sicca mordace ca-

lore cruciatur, neque ullum abest symptomatum hepatis irritationem concomitantium, praeterea pulsus durus, parvus, frequens. Vulnus arescit, atque ubi suppuratio jam adfuit, sanies liquidior flava, haud raro foetida excernitur, simulque febri invalescente sopor atque deliria procreantur.

Inde quidem erysipelas capitis insultatione consensuali ortum esse videbitur; attamen cogitantem, erysipelas gastricas semper affectiones antecedere, partimque efficere, in decursu vero modo descripto gastricas, praesertim hepatis, affectiones manifestissimas esse, haud fugit ob intimum inter cerebrum et ganglia abdominalia consensum, capitis laesione abdominis affectionem esse ortam, quae consensuale erysipelas effecerit.

Quidni autem erysipelas sola cutis laesione oritur? quia nunquam cutis laesiones erysipelas efficere possunt, nisi gastricis complicationibus junctae. Erysipelas vero e loco laeso ordiens haud mirum videbitur contemplanti, hunc locum irritatum ad excipiendam morbi materiam prae ceteris esse idoneum.

LITERATURA.

A. Paré, Oeuvres chirurgicales. Lib. IX. Cap. XII.

Bertrandi, Mémoires sur les Abscès du foie, qui se forment à l'occasion de plaies de la tête; en Mémoires de l'Acad. de Chirurg. Vol. III.

Desault, chirurgischer Nachlass, Bd. II. Th. 3.

Richerand, sur les Abscès du foie, qui accompagnent les plaies de la tête; im Journal de Médécine etc. par Corvisart, Leroux et Royer. Frimaire an XIII.

Ausiaux, Clinique chirurgicale. Liège 1816. p. 35.

Textor im neuen Chiron. Bd. I. H. 3.

Haase, Diss. de abscessibus hepatis. Lips. 1776.

Ritsch, Diss. de hepatis abscessibus a laesionibus capitis. Halae 1766.

Bonnet, Aug., Traité des maladies du foie. Paris 1828.

Hufeland's Journal, Februar 1829.

Richters chir. Bibl. Bd. VI, Wahrnehmungen von dem Herrn Staabsmedicus D. Michaelis in Neuyork.

Cheston, Inquiries cap. 3. Observ. n. 12.

Morgagni, de sedibus et causis morb. ep. LI. Art. 22.

Bonet, Sepulchr. L. IV. Sect. III. Obs. 16.

Morin, Journal de Médécine Tom. XLIV.

Pouteau, Mélanges de Chirurgie à Lyon 1760.

AETIOLOGIA.

Capitis vulnera hepatis abscessus saepius subsequi, vetus observatio docet. Sunt qui puris metastasi hosce abscessus procreari dicant, sed quomodo hoc fieri possit, nemo intelligit. Pus resorberi jam nemo opinatur, quo accedit, quod et observantur abscessus in hepate, ubi commotio tantum cerebri sine integumentorum capitis laesione praecessit, neque in cadaveribus dissectis suppuratio quaedam capitis vel cerebri inventa est.

Neque phlebitide procreari abscessus illos, satis cum vero consentire videtur. Videmus enim, quodlibet fere capitis vulnus affectiones gastricas comitantes, quae phlebitidi certe tribuendae non sunt, hepar irritatum demonstrare. Plerumque etiam tam sero post vulnera inflicta existunt, ut de phlebitide cogitari non possit.

Alii, sanguinis circulatio capitis vulneribus

turbetur, necesse putant, unde sanguinis in hepate accumulationes, indeque inflammatio hepatis oriantur, quod Bertrandi sagaciter arguere conatus est. Eum vero in ratiocinatione ista a vero longe aberrasse, nemo est, qui non intelligat. Nunquam enim tanta vehementia tantaque mole sanguis per venam cavam superiorem detrudi potest, ut refluxus sanguinis per venam cavam inferiorem impediatur, quo accedit, quod de hepatis abscessibus vulnera capitis subsequutis apud scriptores legimus, etsi signa illa circulationis vitiatae non adfuerint. Sin vero adsunt, quomodo stagnationes sanguinis in hepate possint efficere, non liquet. Eadem enim, quae ante laesionem capitis, sanguinis est copia. Si ergo capite laeso major sanguinis copia ad caput propellitur, minor ad hepar detrudatur necesse est, ita ut impedimentum, quod statuit Bertrandi, non appareat et potius cerebri inflammationem inde oriri, quam hepatis, censueris.

Sunt etiam, qui hepatis abscessus capitis laesionem secutos, non a laeso capite, sed ab hepatis commotione, qua hepar simul vi illa exteriore afflictum sit, deducant. Quod quidem organon, quum sit magnum, densum satisque stricte in abdominis cavo suspensum, facile com-

moveri posse, nemo non intelligit, et subinde hepatis abscessum ex ipsa illa commotione nasci, inter omnes constat, neque tamen commotionem unicam abscessibus causam subesse, ex eo colligitur, quod hepatis abscessus saepius occurrunt, ubi istam, quae caput laeserit vim, non simul hepar commovisse patet, quo accedit, quod abscessus etiam observantur in cerebri affectionibus, ex causa tantum interna profectis, e. c. in meningitide chronica.

Cerebrum, commune omnium organorum centrum, systemate nervorum cum illis jungitur. Hinc cerebri laesioni ceterorum laesio adnectitur, qua vi omnium fortissime hepar corripitur. Testes sunt hepatis functiones, quas post animi affectus deprimentes vel excitantes observamus turbatas, turbatas ex sanguinis ad cerebrum affluxu, turbatas in encephalitide atque in morbis cerebri organicis. Vice versa ex causis hepar protopathice afficientibus cerebri saepissime videmus morbos orientes. Ex rebus, quarum mentionem injecimus, consensum quendam cerebri cum hepate non satis exploratum, sed majorem quam cum reliquis organis existere patet, qui solus alienationes illas hepatis, laesionibus cerebri provocatas, quodammodo dilucidare valeat.

Consensus ille non ad ipsum cerebrum tantum pertingit, sed etiam ad integumenta cerebri externa, nec non interna. Hunc per consensum laeso capite irritatio nascitur hepatis, cujus superstes causa hepatitidi ansam praebet; quae nisi solvitur, in suppurationem abiens abscessus hepatis gignit.

DIAGNOSIS.

Certam abscessuum hepatis orientium diagnosin constituere, arduum est, illorum praesertim, qui vulneribus capitis superveniunt, propterea quod paulatim oriuntur signisque manifestis solent carere. Quo fit, ut in cadaveribus capite laesorum saepius occurrant, in quibus ne quidem suspecti fuerint. Jam Bertrandi refert: Hujusmodi abscessuum historiae, quae a chirurgis traduntur, nusquam ita sunt descriptae, velut morbus fuerit praevisus, e cadaveribus omnes sunt depromptae ideoque curationes desiderantur.

Saepissime obvii sunt in capitis vulneribus suppurantibus, quae cum commotione cerebri erant conjuncta, nec vero desiderantur post cerebri commotiones, in quibus neque integumentorum laesio patuit ulla, neque encephalitis, neque meningitis supervenit. In utroque hepatis

lobulo occurrunt, saepius tamen in dextro, quam in sinistro. Temporis terminus, quo abscessus post capitis laesiones in hepate gignitur, valde differt. Hoc in negotio natura modo lente, modo festinanter procedit. Nunc intra nonnullos dies, nunc intra aliquot menses debitum assequitur finem, quandoque demum post plures terminum attingit annos. Non rarae sunt medicorum observationes, quae hoc luculenter testantur.

Abscessum hepatis formatum iri, suspicaberis, si paullo post illatam laesionem molimina gastrica superveniunt, quae, etsi mitius, confecta jam vulneris cicatrice, persistunt. Inflammationis, hisce semper abscessibus antecedentis, chronicus solet esse decursus, et tunc interna semper hepatis substantia offensa est. Plerumque tam occulte prorepit, ut per exitum demum, quando magna organi pars jam destructa est, noscatur inflammatio. Illam adesse suspicaberis, cum hypochondrium tensum est et, si manu fortius presseris, dolorem sentit aegrotus, facies pallet, sedes irregulares, pulsus frequentior est et duriusculus; deesse hepatitidem signis illis deficientibus, minime colligere possumus. Sin hepatitis laesum caput excipiens acutius decurrit: superficies et integumenta inflammata esse, conjicien-

dum est; membranarum enim inflammatio generatim majorem dolorem et reliqua inflammationis symptomata multo graviora, quam parenchymatis inflammatio offert, atque si transit in suppurationem, hanc ad alterutram visceris faciem, vel extremos limbos pertinere, multis compertum habemus observationibus. Percipit aegrotus dolorem continuum, pungentem, saepiusque acerrimum uni quasi hypochondrii dextri puncto infixum, interdum ad scapulam dextram provectum, hypochondriaca regio dextra admodum sensibilis est, crebro tumida. Accedit febris inflammatoria, quae, prout superiori aut inferiori visceris faciei insidet inflammatio, differentia offert molimina.

Si per anteriorem et superiorem faciem inflammatio diffunditur, pneumoniae vel pleuritidis signa ad symptomata supra enumerata accedunt; sin vero inferior hepatis pars magis est affecta, signa functionis jecinoris laesae observantur, quae morbi quasi imaginem eo magis turbant, quod hoc in casu dolor inflammationis obtusior, largius diffusus est et cibo potuque magis quam tactu augetur, simulque praecordia magis tensa reperiuntur.

Hepatitidem transiisse in suppurationem, signa

haec indicare dicuntur: ingratus calor et gravitatis in hypochondrio dextro sensus, sitis inexplebilis, dyspnoea, nunc sudor, nunc horripilatio, exacerbationes vespertinae, palmarum aestus, somnus inquietus, cutis flavescens, turbida urina, faeces vel albidae vel putridae, cruentae, durae vel peraquosae, ciborum omnino nullus appetitus, sapor amarus. Progrediente malo hypochondria acrius convelli tradunt dolore premente ac pulsante, qui hypochondrio manibus tacto augeatur. Nonnunquam tumorem tactu oculisque percipi, simulque aegrotum, asthmate et anxietate cruciatum, dextrum tantum in latus decumbere, pulsationem sentire in tumore, qui, maculis rosaceis subinde obsitus, vel aliis abscessus foras prodituri signis distinctus, fluctuationem sensim afferat.

Signa illa omnia quantopere sint fallacia, nemo erit, qui non intelligat. Partim omnino desiderantur in hepatis abscessu sat magno, partim si adsunt, longe alium comitari possunt morbum, quam hepatis abscessum et magno certe in numero morborum occurrunt. Signa hepatis abscessus longe alia evadunt, prout in facie externa appareat vel in substantia ipsa. Alia existunt signa, si abscessus extrorsum per integu-

menta abdominis tendit, alia si ad pectus transgreditur, alia si rumpitur in cavum abdominis, alia si in tractum intestinalem aperitur, alia si omnino non rumpitur, sed in hepate ad mortem usque residet.

Si in facie hepatis superiore vel inferiore formatur, plerumque signa, quae supra commemorata sunt, inflammatoria antecedunt. Jam transire inflammationem in suppurationem, colligere quodammodo poteris, si aegrotus de gravitatis in hypochondrio dextro conqueritur sensu ingrato, jam febris accedit suppuratoria, omniaque supra nominata signa inflammatoria augentur. Satis certam diagnosin plerumque tunc demum stabilire licebit, si abscessus vel in cavum ventris, vel thoracis, vel in intestina alia effunditur, vel extrorsum aperitur.

Si per parietes abdominis pus penetrat, cutis quaedam illo in loco animadvertitur visciditas; et si largior abscessus, costae inferiores prominent, quin fluctuationes tactu percipi possunt. Pulsationem aegrotus sentit in loco affecto, in neutrum latus potest decumbere et situ dorsali maxime sublevatur. Longius progressa suppuratione, ingentes per noctem sudores solent supervenire. Non semper infra costas spurias pus

evadit, nonnunquam, ubi hepar et diaphragma inter se coaluerunt, per diaphragma et musculos intercostales effusum, ita abscedit, ut inter ipsas costas spurias tumor appareat.

Quod si in cavum abdominis abscessus aperitur, quod fieri solet inde a concava ejus parte nec raro post commotionem aliquam corporis: aegrotus saepius pus erumpens in cavum illud profundi sentit; quod quo citius evacuatur, eo ocius ascites purulentus, vel peritonitis inde orta, vitam exstinguit.

Nonnunquam pus, aut per corrosum quendam intestinorum parietem, aut per ductum choledochum in tractum intestinalem effunditur; tunc pus foetidum cum dysphagia, colica, diarrhoea, tenesmo et quae sunt reliqua, aut per os aut per anum evacuatur, prout in partem superiorem aut inferiorem tractus intestinalis effusum est.

Singulari itinere pus quoque ab hepate per canales vel ad umbilicum, vel ad lienem, vel ad femora musculosve abdominis ac lumborum, vel ad vesicam urinariam deduci potest.

Ex concretione hepatis cum diaphragmate et diaphragmatis cum pulmonibus interdum fieri potest, ut pus, ab una ad alteram partem delatum, si abscessus in superficie superiore posteriore

hepatis sedem habebat, tussi simul cum sputis ejiciatur. Similem casum allegat Morand (1), quo aegrotus tussi quotidie multum puris ejiciebat. Praeter omnem exspectationem, magno dorsi dolore exorto, inter tertiam et quartam costam spuriam fluctuatio apparuit. Quo loco ferro triquetro percusso, magna puris copia effluxit. Quibusdam diebus post aegrotus mortuus secatus est. Omnes adstantes mirati sunt, puris fontem non in pulmonibus sed in jecore latuisse, et ad pectus viam sibi parasse. Simile quid narrant Lentin (2), Richerz (3), Clarke (4) et Hautesierk (5).

Abscessui in ipsa hepatis substantia orto, quod plerumque post capitis laesiones observatur, maximam partem inflammatio hepatis chronica antecedit. Tempore procedente ad concavam hepatis superficiem, magna cum destru-

---

(1) Morand's vermischte chirurgische Schriften, a. d. Fr. v. Plattner. Leipzig 1776. p. 312.

(2) Beobachtungen einiger Krankheiten. 1774. p. 93.

(3) Observatae viscerum abdominalium labis brevis epicrisis. Leid. 1757. in v. Hallers Beiträgen zur Beförderung der Geschichte und Heilung der Krankheiten, in Auszug gebracht v. Crell. Bd. 6. p. 48.

(4) On the diseases in long voyages to hot Countries p. 267.

(5) Rec. d'observat. de Médécine. T. II. p. 329.

ctione hepatis conjunctus, progreditur, neque fluctuationem, neque dolorem acutum prae se ferens. Diagnosis morbi igitur admodum difficilis est ac dubia. Modo dolor obtusus ac ponderi incumbenti similis sensus adest, de quo aeger queritur, modo horum omnino nihil apparet, et abscessus tacite, aegroto et medico insciis, radices suas agit. Priusquam vacuefit abscessus, febris plerumque lenta rapit aegrotum. Nec non accidit, ut abscessum vel in cavum abdominis, vel in intestinum aliquod effusum signa supra dicta subsequantur.

PROGNOSIS.

Prognosis plerumque dubia est, ad malam vergens. Cum, abscessum fere semper lente ac sensim ex ima hepatis substantia procreatum jam latius, priusquam cognoscatur, organum destruxisse, nobiscum reputamus, magis ambiguam prognosin opinabimur. Pro certo, experientia omnis aevi teste, haberi potest, ita affectos aegrotos maximam partem interire. Si pus extrorsum vergit, quod raro accidit, aliquantum, si introrsum, parum vel nihil sperare licebit, simili modo sudores nocturni cum febri lenta et viribus admodum exhaustis infaustum portendunt

exitum. Ex diverso quoque puris colore prognosticon desumere possumus, plures enim aegrotos cum pure albido convalescere, nullos vero cum pure griseo, subfusco aut faecibus simili, apud scriptores legimus. Hippocrates(1), jam dixit: Qui hepatis abscessu laborant, nunquam, nisi pus albidum et purum fluit, convalescunt; membrana enim his conditum pus est; si vero pus depravatum, griseum, luteum, sanguine mixtum fluit, pereunt. Ubi enim bona suppuratio fit, commentatus est Cl. Swieten, in uno loco circumscripto pus colligitur: et forte hoc tunc imprimis fit, quando circa exteriorem hepatis convexam partem vomica haeret, per externam hepatis membranam coercita, et tecta. Ubi vero in intima substantia hepatis abscessus fit, tunc in faeci similem putrilaginem omnia convertuntur et nulla spes superest. Bertrandi(2) vero ita intelligendum esse censet, ut alterum neque semper bonum, neque alterum perpetuo sit lethale. Simul casus aliquot morborum refert haec probantes. Abscessus introrsum ruptus, cujus pus in abdominis vel thoracis cavitatem effunditur, exitialis est; si in tractum intestinalem effusus diarrhoeam efficit purulentam

(1) Aphorism. 45. Sect. 7.
(2) Mém. de l'Académie Royale de Chirurg. T. III.

vel emesin purulentam, de recuperanda salute parum fausti praenuntiari potest. Talis pure refertus alvi fluxus semper ambiguus est atque periculosus, alii exinde convalescunt, alii pereunt. Magnam futurae salutis spem affert liberior, aperto extrorsum abscessu, puris effluxus cum illaesis ac bene procedentibus corporis functionibus: vires nempe si manent, neque ex quotidiana humorum jactura magnopere debilitantur, si ciborum appetitus cum bona digestione praesto est, et pulsus ab omni febri alienus in statu naturali persistit. Saepius abscessus foras evadunt, et nisi facilis pus evacuandi datur potestas, largius diffusi magnas in jecinoris parenchymate destructiones, novas inflammationes, fistulas, costarum cariem, febrem hecticam, phthisin, hydropem provocant. Nihilo secius naturae ope et curatione apta convalescere potest aegrotus, imprimis cum diathesis morbosa nulla adest, cum abscessus locus ad evacuationem externus idoneus est, ut chirurgi manibus aditum concedat.

CURATIO.

Pathologiae est, hepatis abscessus quominus oriatur, prohibere, plerumque tamen nihil valet, quia inflammatio antecedens nullis signis mani-

festa irruere solet. Quare si serotina est prophylaxis, ulteriores abscessus progressus quam fortissime arceri oportet. Medelam, quae ad vitandam hujus visceris suppurationem respondeat, hic in medium proferre, abest a dissertationis hujus proposito. Mitto illam, velut a nostro consilio alienam, ad abscessum ipsum curandum gradum facturus.

E subjectivis et objectivis signis si hepatis abscessum exstare conjeceris, indicatio offertur, abscessus ne ultra progrediatur, cavendi, sequelas, quas allaturus est, evitandi, purique exitum parandi. Proderit ergo antiphlogosis, pro viribus ceterisque, quae accedunt, rationibus instituenda, et derivatio; quem in finem applicentur hirudines, cucurbitulae cruentae, vesicatoria, medicamina leniter purgantia, emulsiones, serum lactis, et mercurialia, hoc in malo specifica. Provectiori tamen morbo, remedia ista noxia erunt; tunc vero praeter diaetam roborantem ac nutrientem, China, acida, aqua calcis lacte remixta, lichen islandicus, extracta saponata cet. quadrant. Puris focus si in concava parte sedet, ab arte nil auxilii exspectari potest. Plerumque in cavitatem abdominis abscessus rumpitur exitusque lethalis est. Quae modo adsunt, vitae

elongandae indicationibus satisfiat. Prolongari enim, cum in cavum abdominis pus effluxerit, non servari vita potest paracenthesi abdominis a Bell collaudata. Phaenomena in morbi decursu apparentia secundum therapiae generalis principia curentur.

Quandoque accidit, ut, si saccus purulentus cum intestino quodam contiguus sit, pus ad hanc partem perforet, et per anum procedente tempore exeat. Plerumque diarrhoea pure mixta hinc oritur, qua aegrotus levatur. Proinde naturae negotio clysmatibus ex herbis emollientibus aut antisepticis, ex infuso corticis Peruviani, aut florum Chamomillae paratis, succurrere convenit. Itidem magno cum emolumento interne cortex Peruvianus, victus potusque nutriens adhibetur. Si febris lenta et sudores nocturni iis diminuuntur, ciborum appetitus cum viribus redit, spes est fore, ut aeger ex hoc desperato morbo sensim convalescat Sin contrarium accidit et corpus in dies macrescit, de aegroto conclamatum est. Insuper experientia edocti scimus, majorem aegrorum partem hoc malo interire, minorem incolumem reddi.

Simili ratione dubius atque incertus est exitus, si pus ad pulmones viam sibi paravit ac per sputa et tussim rejicitur. In hoc gravi casu ad

naturam levandam parum auxilii afferri potest. Alimenta blanda, nutrientia, cum medicamentis tonicis atque expectorationem promoventibus juncta, unice hic locum habere atque totam medici curationem absolvere videntur. Longe prosperrimum abscessu arte aperto successum assequimur. Quicunque abscessus cultro aditum permittunt, itaque qui hepatis faciei superiori vel margini anteriori posteriorive, vel adeo parti convexitatis anteriori inhaerent, hanc operationem patiuntur, praesertim cum nullum aliud remedium tam faustum eventum parare, et laesionem hepati inflictam nihil detrimenti ferre, experientia doceat. Jecinoris enim substantia, dum in loco abscedente foras attenuat, magnum per ambitum cum peritonaeo coalescit, puris in abdomen effusionem impedit. Quare, ubi primum suppurationem sursum tendere ex fluctuatione ac tumore noveris, operatio instituatur, ne fistulae sinusque formentur, ne forte jecur adhaerens a peritonaeo revellatur, neve introrsum effluat pus, quod quidem praematura operatione multo est infestius. Hanc ob causam remediis ad abscessum maturandum laudatis parca tantum brevisque applicatio concedenda est. Etiamsi accidat, ut satis alta incisio abscessum non tangat, tamen opera non perdita est, neque detrimenti aliquid in ae-

grum exinde redundat. Puri via hac incisione paratur et plerumque paulo post in vulnere illud in conspectum venit. Abscessus apertura parva tunc statim dilatetur, ut puri liberior exitus pateat. Ne situs adversus humorum effluxui obsit, in latus dextrum decumbat aeger. Deinde in cavum abscessus bis quotidie fiant injectiones, ex herbis emollientibus paratae atque ex iisdem superaddantur cataplasmata.

Abscessus hepatici, ne debito maturius obliteretur, satis profunda fiat satisque ampla apertura; ne vero nimis longe pateat, quippe quo modo cystae fines transgressus, extravasatis in abdomine purulentis ac fistulis daret ansam, vel intestina, vesiculam felleam cet. offenderet. Permagni abscessus, quos subito evacuari non licet, acu triquetra vel solum pungantur, vel insuper ita dilatentur, ut pro ceteris, quae accedunt, rationibus incisura aut transversa aut longitudinalis aut T formis fiat et arteriae epigastricae laesio caveatur. Si ex hepatis abscessu majore multi effunduntur humores indeque aegrorum vires magnopere franguntur, tam ad bona atque apta nutrimenta quam ad tonica ac vim vitalem sustinentia remedia interna medico est confugiendum. Ratione igitur victus omnia mucilaginosa, gelatinosa, farinacea ac modicus vini generosi ac ce-

revisiae usus conveniunt. Quod ad medicamina cortex Peruvianus, China atque acidum sulphuricum aqua dilutum reliquis palmam praeripiunt. Sub magno puris effluxu vulnus saepius per diem deligandum est, imprimis tempore aestivo, quo humores effusi magis ad putredinem vergunt. Sub hac medendi methodo, nisi cum aliis malis complicatus sit hepatis abscessus, adjuvante natura medicatrice, saepius ad perfectam adducitur sanitatem.

Ubicunque dubitas, an abscessus superficies cum peritonaeo coaluerit atque ubi certior reddi de apostematis sede non potes: operatione illa, quam Graves (1) optime sibi successisse praedicat, pro tutissimo refugio uteris, ita quidem, ut profunda incisura juxta tumoris directionem per musculos abdominales, si qua poterit, ad lineas duas a peritonaeo instituatur, eoque puris effluxus foras promoveatur.

MORBI HISTORIA.

J. R., sutor, triginta annos natus, die vicesimo mensis Septembris anni MDCCCXXXVI. in nosocomium caritatis receptus, de dolore obtuso regionis cardiacae versus hypochondrium dextrum conquerebatur, quo jam plures per hebdomades sese laborare dicebat. Novissimis ta-

(1) Froriep's Notizen, Bd. XVII. No. 364.

men temporibus malum admodum increvisse simulque se in dies magis macrescere retulit. Pars dolens parum eminebat, cutis nec discolor erat neque sub integumentis abdominis iniquitates quaedam animadvertebantur. Hepar majus solito percipiebatur. Dolor ille hypochondrio manibus fortius tacto paulisper augebatur. Alvus erat obstructa, excreta normalia, pulsus parvus, tensus, non multum acceleratus. Lingua muco albido flavescente obtecta, sapor nullus, ciborum nullus appetitus. Vires fractae atque animus depressus. De causa morbi interrogatus haec referebat: sese optima semper valetudine gavisum esse usque ad quartum abhinc mensem. Illo tempore occipitis vulnere se esse affectum, cui supervenerit erysipelas capitis. Emetico accepto multa sese per os et alvum ejecisse, quo facto in statum meliorem res abierit. Vulnus capitis intra quatuor hebdomades quidem sanatum, se ipsum vero nunquam pristina valetudine esse gavisum.

Vulnus ipsum sanatum apparuit, os in loco illo paulisper prominens. De affectionibus capitis aeger non est conquestus.

Praescribebatur: Infus. rad. Rhei ℥v (ʒij) Tartar. Stibiat. gr. j Extract. taraxac. ʒiij.

Omni bihorio cochlear majus.

Status aegroti cum inde non levaretur, febrisque lenta appareret: Inf. calami cum acido muriatico porrigebatur. Dolores cum paulo post vehementiores existerent, cucurbitulae cruentae applicatae sunt, quae quidem levaminis aliquid tulere aegroto, sed pro dolor! in breve tantum tempus. Viribus maxime exhaustis, aegrotus die vicesimo sexto mensis Octobris diem obiit supremum.

SECTIO CADAVERIS

triginta sex horas post mortem instituta est. In cranii cavitate anomali nihil inveniebatur, nec illo in loco, ubi vulnus tulerat aegrotus. Os ubique illaesum. Simili modo et in pectoris cavitate nihil occurrit praeter naturam, nisi quod adhaesiones quaedam pleurae costalis cum pulmonali obviae erant. Et organa abdominis primo adspectu sana apparuerunt, mox vero cum hepar attolleretur, causa morbi sat luculenter cernebatur. Erat illud maxime adauctum, praesertim lobulus dexter, in cujus inferiore facie abscessus apparuit magnitudine ovi anserini, quo inciso magna puris copia effluxit. Concretiones hepatis cum partibus prope adjacentibus nusquam apparuere. Hepate discisso, magna ejus pars, praesertim ad convexam et dextram partem, de-

structa apparuit et substantia ipsa, abscessui adjacens, in massam viscidam, mollem, coloris violaceo-fusci, transmutata.

VITA.

Ego Ernestus Ludovicus Schenk, a. MDCCCXII. die X. mensis Septembris Knippelsdorpii, provinciae Saxoniae pago, natus sum, patre optimo Joanne Augusto Schenk, verbi divini apud Stolzenhainenses ministro, matre dilectissima Carolota e gente Wahn, quibus parentibus adhuc salvis gaudeo; confessioni evangelicae addictus sum. Primis literarum elementis a patre imbutus, quarto decimo vitae anno gymnasium adii Vitebergense, ibique per sex annos ad eas incubui literas, quae ad studia academica viam muniunt. A. MDCCCXXXII. mense Septembri, testimonio maturitatis instructus, inter numerum civium instituti Friderici Guilelmi medico-chirurgici receptus, per quadriennium studiis medicis et chirurgicis operam navavi, virosque illustrissimos et celeberrimos audivi: Cel. Wolff de hodegetice, logice et psychologia; Ill. Link de botanice, historia naturali et toxicologia; Cel. Turte de physice, chemia et pharmacia; Ill. Schlemm de osteologia, anatomia organorum sensuum, splanchnologia, syndesmologia et anatomia universa. Artem cadavera rite dissecandi Ill. Mueller una cum Ill. Schlemm me docuerunt. Porro frequentavi praelectiones Cel. Eck de physiologia; Ill. Mueller de physiologia; Ill. Fr. Hufeland de pathologia generali, semiotice, therapia tam generali quam speciali; Ill. Horn de pathologia speciali, de morbis mentis et de syphilyde; Ill. Osann de materia medica et de auxilio in repentinis vitae periculis ferendo; Cel. Casper de arte formulas medicas concinnandi; Cel. Kluge de arte fascias applicandi, de chirurgia generali, de ossium fracturis et luxationibus, de arte obstetricia, de akiurgia et de ophthalmiatrice. Ill. Hecker mihi Celsi de medicina li-

bros et Burserii institutiones interpretatus est. Exercitationibus clinicis medicis interfui ducibus Beat. Bartels, Cel. Truestedt et Cel. Wolff; chirurgicis duce Ill. Rust; chirurgicis et ophthalmiatricis duce Ill. de Graefe; ophthalmiatricis duce Ill. Juengken nec defui exercitationibus practicis ad medicinam forensem pertinentibus Ill. Wagner. Denique praelectiones ad medicinam veterinariam spectantes frequentavi: de anatomia animalium domesticorum Cel. Gurlt; de morbis epizooticis et de zoodiaeta Cel. Reckleben; de equi lineamentis externis Beat. Naumann; nec non de equi morborum curatione institutiones clinicas Cel. Hertwig me frequentasse, laete fateor.

Omnibus his viris honoratissimis maximas, quas possum, gratias habeo semperque habebo.

Quadriennii studiorum cursu peracto, medici inferioris munus in nosocomio caritatis suscepi atque per annum functus sum, quo facto medici militaris inferioris officia in cohorte vicesimae sextae chiliadis copiarum pedestrium, in qua medicus primarius est Cel. Dr. Lemke, persolvo.

Jam vero tentaminibus, et philosophico et medico, nec non examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine rite superatis, spero fore, ut, dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

---

1. Auscultatio certissima nobis praebet signa tam morborum pectoris, quam graviditatis.
2. Incisiones capsularum articularium majores, multo utiliores minoribus, saepius membrum servant.
3. In scirrho mammarum exstirpatio omnibus reliquis medicamentis anteponenda.
4. Febrem convulsioni supervenire melius est, quam febri convulsionem.
5. Antiphlogosis in morbis syphiliticis nec praeferenda mercurio, nec mercurius antiphlogosi.